

UT status controversiæ in initio statim ob oculos ponatur, necessum est ante omnia ostendere, non de eo nobis esse quæstionem, utrum pauperi cuidam pecuniam mutuo absque usura dare teneamus? Ad quod officiorum genus multos hominum obligari, sive ipsas juris naturæ inspiciant leges, sive Christianæ charitatis, ultro largimur. Neque illud ausim affirmare, quod usura præcepto quodam positivo aut naturali aut divino præcipiatur; cum id tantummodo demonstrare nostrum erit, neutro eandem prohiberi. Multo minus ea quæstio nos habet sollicitos, numquid usuræ essent licitæ, si etiamnum in primævo vitæ statu versaremur, atque divinus amor omnium adhuc animis inhæreret? Tantum enim abest, ut homines, quæ hodie regnat, lucrandi cupiditas captivos ulla teneret, ut potius tantum quisque haberet, unde vivere liceret. Imo si persuasum habeamus, quod *Dn. Thom. Jurisp. div. L. II. C. X. §. 69.* asserit, neque dominium proprium tali in statu obtinisset, atque exinde sequeretur, usuram, quæ absque illo intelligi nullo modo potest, penitus incognitam mansisse. Nec denique sermo est, num civilibus forsitan legibus usuræ permittantur? Quem enim *tit. in Cod. & ff.* hac de re latere possunt? Ac quamvis usurarii contractus rejiciantur in Recensibus Imperii, admittitur tamen, ut pro interesse annuo 5. pro centum sumantur; qui contractus intra certum tamen modum sunt restricti. Sic Recessus Imperii de anno 1592. (ubi petiere sibi declarari status Imperii, wie es zu verstehen sey/das die wucherl. Contracten / usurarii contractus, sollen abgeschafft seyn) in Act. MSC. (quæ in manibus habet *Dn. D. Obrechtus olim P.P. Hist. in Acad. Argent. nunc Prætor in eadem civitate*) hanc constitutionem probavit Elector Moguntinus, Constitutiones Imperii non pertinere ad usuras penitus tollendas, sed illorum immodicam quantitatem restringendam *Conf. Observ. Obrechtii in Grot. de J. B. ac P. L. II. c. XII. §. 20. p. 1145.* De hisce, inquam, non disputamus, verum id duntaxat à nobis in præsentiarum quæritur, utrum usuræ ita Jure Naturali sint licitæ, ut fœneratores in positivum Jus divinum non impingant?

§. II. Quam quæstionem ut enucleare pro virili queam, rem paulo altius è Philosophia primum repetam. Itaque sine ambagibus ad usuræ materiale me confero, quod cum in promiscuis tum creditoris tum debitoris contrahentium actibus cernitur, sequente illi ordine sese habent:

bent: